MISSALE DIOECESIS PATAVIENSIS . LEKTIONAR
Diözese Passau / Salzburg, Seite 240r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Dicit ad eum mulier. Dne: da michi hanc aquam ut non sitiam:
neque veniam huc haurire. Dicit ei ihc. Vade voca virum tuum:
et veni huc. Respondit mulier et dixit. Non habeo virum. Dicit ei
ihc. Bene dixisti: quia non habeo virum. Quinque enim viros
habuisti: et nunc quem habes non est tuus vir. Hoc vere
dixisti. Dicit ei mulier. Dne: video quia propheta es tu.
Patres nostri in monte hoc adoraverunt: et vos dicitis quia
ierusalem est locus ubi adorare oportet. Dicit ei ihc. Mulier
crede michi quia venit hora quando neque in monte hoc
neque in ierusalem adorabitis patrem. Vos adoratis quod
nescitis: nos autem adoramus quod scimus. quia sa-
lus ex iudeis est. Sed venit hora et nunc est: quando veri
adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate. Nam
et pater tales querit: qui adorent eum. Spiritus est deus:
et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare.
Dicit ei mulier. Scio quia messias venit qui dicitur xpc.
Cum ergo venerit ille annunciabit nobis omnia. Dicit
ei ihc. Ego sum: qui loquor tecum. Et continuo venerunt
discipuli eius: et mirabantur quia cum muliere loquebatur:
nemo tamen dixit. quid queris aut quid loqueris cum
ea. Reliquit ergo ydriam suam mulier. et abiit in civita-
tem: et dicit illis hominibus. Venite et videte hominem: qui
dixit michi omnia quecumque feci. Numquid ipse est xpc.
Exierunt de civitate: et veniebant ad eum. Interea ro-
gabant eum discipuli eius dicentes. Rabbi mandu-
ca. Ille autem dixit eis. Ego cibum habeo manducare quem
vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad invicem. Num-
quid aliquis attulit ei manducare: Dicit eis ihc.
Meus cibus est: ut faciam voluntatem eius qui